AUTHOR:

SCHWARZ, HEINRICH

TITLE:

OBSERVATIONES CRITICAE IN ISIDORI...

PLACE:

HIRSCHBERG

DATE:

1895

Master Negative #

93-81342-4

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

```
BKS/SAVE  Books      FUL/BIB   NYCG93-B2663          Acquisitions     NYCG-TLK
Record 1 of 0 - SAVE record
UNI
  ID:NYCG93-B2663           RTYP:a    ST:s    FRN:   MS:   EL:      AD:03-24-93
  CC:9668  BLT:am      DCF:?    CSC:?    MOD:     SNR:      ATC:       UD:03-24-93
  CP:gw      L:lat     INT:?    GPC:?    BIO:?    FIC:?     CON:???
  PC:s       PD:1895/           REP:?    CPI:?    FSI:?     ILC:????   II:?
  MMD:       OR:    POL:     DM:     RR:          COL:      EML:      GEN:   BSE:
  040      NNC‡cNNC
  100 1    Schwarz, Heinrich.
  245 10   Observationes criticae in Isidori Hispalensis Origenes‡h[microform]‡cv
         on Oberlehrer Dr. Heinrich Schwarz.
  260      Hirschberg,‡bDruck von Geisler,‡c1895.
  300      18 p.
  LDG      ORIG
  QD       03-24-93
```

Restrictions on Use:


TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35 REDUCTION RATIO: 13x

IMAGE PLACEMENT: IA IIA IB IIB

DATE FILMED: 4-24-93 INITIALS SS

FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT





AIIM


Association for Information and Image Management


1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910

301/587-8202







MANUFACTURED TO AIIM STANDARDS
BY APPLIED IMAGE, INC.

Königliches Gymnasium

zu

Hirschberg.

Ostern 1895.

1) **Observationes criticae in Isidori Hispalensis Origenes** von Oberlehrer **Dr.** Heinrich Schwarz.
2) Schulnachrichten von Direktor Thalheim.

Heinrich Schwarz

1895 Progr. No. 190

Hirschberg.
Druck von Geisler & Ike.
1895.

astra perductus est, scilicet ut animos, seculari sapientia implicatos, a terrenis rebus abduceret, et in superna contemplatione collocaret.

Commemorat Isidorus, qua causa adducti sint philosophi, ut in ordinem artium liberalium astronomiam reciperent: ceteras artes, grammaticam, rhetoricam, dialecticam, arithmeticam, musicam, geometriam, efficere, ut homines sapientia saeculari implicentur, solam astronomiam animos eorum in rerum caelestium contemplatione collocare. Quae cum ita sint, tradita scriptura ‚ut . . . abduceret et . . . collocaret' (sc. ordo septem disciplinarum) retineri non poterit, quoniam ceterae quas enumeravi artes liberales minime aptae sunt, quae ab terrenis rebus abducant. Corrigatur ‚abducerent' et ‚collocarent' (sc. astra).

IV, 5, 2.

Morbi generali vocabulo omnes passiones corporis continentur, quod inde veteres morbum nominaverunt, ut ipsa appellatione mortis vim, quae ex eo nascitur, demonstrarent.

Pro ‚quod' scribendum puto ‚quo' (sc. vocabulo).

IV, 8, 21.

Sirimpio . . . (explanatio deest).

Non cum Ottone *σερίγγιον*, sed ‚syringio' corrigendum est; cf. Plin. Val. V,44 lemm.: si quis syringiones in carne habuerit.

IV, 10, 3.

Dynamidia potestas herbarum, id est, vis et possibilitas. Nam in herbarum cura vis ipsa *δύναμις* dicitur: unde et dynamidia nuncupatur, ubi eorum medicinae scribuntur.

Pronomen ‚eorum' ad quod nomen referendum sit, non video; mutari velim ‚earum' (sc. herbarum).

V, 1, 7.

Postea Theodosius minor Augustus ad similitudinem Gregoriani, et Hermogeniani Codicem factum constitutionum a Constantini temporibus sub proprio cuiusque imperatoris titulo disposuit, quem a suo nomine Theodosianum vocavit.

Dubito, an Isidorus scripserit ‚factarum', h. e. Theodosius codicem earum constitutionum disposuit, quae a Constantini temporibus promulgatae erant.

V, 25, 32.

Cessio est propriae rei concessio, sicut est illud: cedo iure propinquitatis. Cedere enim dicimus quasi concedere, id est, quae propria sunt: nam aliena restituimus, non cedimus.

Scribendum videtur ‚iure proprietatis'.

V, 27, 18.

Virgae sunt summitates frondium arborumque, dictae, quod virides sunt: vel quod vim habeant arguendi.

An ‚urguendi'?

V, 33, 3.

Aegyptii autem primi propter lunae velociorem cursum, et ne error computationis

Antithesin contrapositionem esse vix quisquam sibi persuaserit, quoniam praepositio ἀντί in vocabulo ἀντίθεσις hoc loco non ‚contra', sed ‚pro' significat: neque, quod sciam, apud grammaticos latinos eiusmodi definitio invenitur. Cf. Char. p. 279,16 K: antithesis est litterae pro littera inmutatio. Diom. p. 442,28 K: antithesis est litterae commutatio. Don. art. grammat. p. 397,1 K: antithesis est litterae pro littera positio. — Itaque hoc quoque loco ‚antithesis positio litterae pro alia littera' restituendum esse puto; ‚contra' nescio an ex versu sequenti irrepserit ‚metathesis contra transpositio litterae'.

I, 37, 2.

Sed hae atque aliae tropicae locutiones ad ea, quae intellegenda sunt, propterea figuratis amictibus obteguntur, ut sensum legentis exerceant, et ne nuda atque in promptu posita vilescant.

Non tropicae locutiones, sed ea, quae intellegenda sunt, obteguntur, quod si verum est, deleta praepositione ‚ad' scribendum erit ‚locutiones ea, quae intellegenda sunt, pr. fig. amict. obtegunt'.

I, 39, 10.

Quibus virtutibus nomen solum obtinuit (subiectum est: metrum heroicum), ut heroicum vocaretur ad memorandas scilicet heroum res.

‚Nomen' delendum videtur: aut Isidorus scribere debebat ‚solum nomen heroicum obtinuit' omissis verbis ‚ut heroicum vocaretur', aut ‚solum obtinuit, ut heroicum vocaretur'. ‚Obtinuit ut' saepius inveniri notum est: cf. Liv. 35, 10,9: his obtinuit, ut praeferretur candidato. Val. Max. VI, 4,2: quo dicto ut neuter in provinciam mitteretur obtinuit.

II, 4, 2.

Dictum autem iudiciale (sc. genus), eo quod iudicet hominem, et sententia sua ostendat, utrum laudabilis praemio dignus sit, aut certe reus condemnari, liberarique supplicio.

‚Liberarive' pro ‚liberarique' Otto et Halmius (rhet. lat. min. p. 508,5) restituerunt. Praeterea quin ‚certe' non recte se habeat, dubium esse nequit. Halmius coniecit ‚contra', ego post ‚liberarive' transposuerim, ut hic efficiatur sensus: tertium genus eorum est, qui quamvis laudem non mereantur, certe non digni sunt, qui condemnentur et poena afficiantur. Postremo nescio an ‚laudabilis praemio(que) dignus' scribendum sit.

II, 21, 27.

Quorum quot sunt figurae, tot et in pronunciando voces.

Antecedunt § 17 haec: sententiarum species multae sunt: aliae (sc. sententiae) enim indicativae . . aliae imperativae . . aliae admirativae . .; § 18: aliae comparativae . . aliae superlativae . . § 19: aliae interrogativae . . § 20: aliae responsivae . . aliae deprecativae . . aliae promissivae . . . aliae concessivae . . . aliae optativae . . . § 21: aliae derogativae . . . § 22: aliae exhortativae . . . § 23: aliae dehortativae . . . § 24: praeceptivae . . . § 25: vetativae . . . . § 26: negativae . . . sunt et mirativae . . . § 27: dolentis . . . flentis . . . admonentis . . . irridentis . . . gementis . . exhortativae . . consolativae . . commiserantis. Post ‚commiserantis' quae supra exscripsi verba leguntur, in quibus ‚quorum' mihi offensioni est; nam sive masculinum sive neutrum esse credas, cuius rei figurae intellegantur, nescitur. Proposuerim ‚quarum' (sc. sententiarum).

II, 25, 1.

Isagoga quippe graece, latine introductio dicitur, eorum scilicet, qui philosophiam incipiunt: continens in se demonstrationem primarum rationum de qualibet re, quid sit, suaque certa, ac substantiali definitione declaratur.

Neque scitur, quid declaretur, neque quae vocabula coniunctione ‚que' coniungantur, neque pronomen ‚sua' quo referendum sit. Videtur mihi Isidorus scripsisse ‚declarans'.

III, 5, 6.

Impariter impar (sc. numerus) est, qui ab impari numero impariter mensuratur, ut XXV. XLIX, qui dum sint impares numeri, ab imparibus etiam partibus dividuntur, ut septies septem XLIX, et quinquies quini XXV.

Mutandum est ‚septies septeni'.

III, 6, 1.

Omnis numerus aut secundum se consideratur, aut ad aliquid. Iste dividitur sic: alii enim sunt aequales: alii inaequales. Iste dividitur sic: alii sunt maiores, alii sunt minores.

Arevalus adnotat: melius videretur ‚inaequales. Ille dividitur' etc. Sed qui mutationem Arevali probaverit, is numeros per se in aequales et inaequales, numeros ad aliquid in maiores et minores dividi statuere debebit. Quoniam autem (§ 2) ‚per se numerus est, qui sine relatione aliqua elicitur' (Otto cum Guelpherbitanis duobus: dicitur), ‚ad aliquid est numerus, qui relative ad alios comparatur', perspicuum mihi videtur esse, numeros per se in aequales et inaequales dividi non posse. Immo numeri ad aliquid aut aequales aut inaequales sunt, inaequalium autem numerorum alii maiores, alii minores sunt, id quod ex § 3 (aequales numeri dicuntur, qui secundum quantitatem aequales sunt. Verbi gratia II ad II, III ad III, X ad X, C ad C. Inaequales numeri sunt, qui ad invicem comparati, inaequalitatem demonstrant, ut III ad II, IV ad III, V ad IV, X ad VI, et universaliter maior minori, aut minor maiori huiuscemodi dum comparatus fuerit, inaequalis dicitur) intellegitur. Quae si recte se habent, sine ulla mutatione sic locum interpretandum propono: omnis numerus aut secundum se consideratur aut ad aliquid. Iste (sc. numerus ad aliquid) dividitur sic: alii enim sunt aequales, alii inaequales. Iste (sc. numerus inaequalis) dividitur sic: alii sunt maiores, alii sunt minores'. De pronominis ‚iste' usu cf. III, 7, 1: Numeri aut discreti sunt aut continentes. Iste (sc. numerus continens) dividitur sic e. q. s. Idem locus docet in singulari numero ‚iste dividitur sic' post plurales ‚aequales' et ‚inaequales' posito non esse quod offendatur.

III, 54, 1.

Prima figura lunae bicornis est. Secunda sectilis. Tertia dimidia. Quarta plena. Quinta iterum dimidia ex maiore. Sexta iterum sectilis. Septima bicornis.

‚Luna bicornis' significat ‚das erste Mondviertel', ‚luna sectilis' ‚das zweite Viertel', ‚Halbmond'; tertiam figuram lunae non lunam dimidiam esse, sed quod nos dicimus ‚das dritte Viertel', satis perspicuum est. Itaque post ‚tertia dimidia' verba ‚ex maiore' intercidisse coniecerim, praesertim cum ex verbis ‚quinta iterum dimidia ex maiore' intellegatur, iam antea lunam dimidiam ex maiore commemoratam esse.

III, 71, 41.

Ordo autem iste septem secularium disciplinarum ideo a philosophis usque ad

Animadversiones criticae in Isidori Hispalensis Etymologias.

Scripsit Henricus Schwarz.

Isidori etymologiarum editiones praesto mihi fuerunt hae:

1. S. Isidori Hispalensis episcopi opera omnia, denuo correcta et aucta recensente Faustino Arevalo. Tomus III, etymologiarum libri X priores. Romae anno 1798. Tomus IV. etymologiarum libri X posteriores. Romae anno 1801.

2. Isidori Hispalensis episcopi etymologiarum libri XX, edidit Frid. Vilelmus Otto, Lipsiae 1833 (tomus III corporis grammaticorum latinorum ab Friderico Lindemann editi).

3. Patrologiae latinae tomus LXXXII, Parisiis 1878.

Ego in Isidori locis afferendis Arevali textum secutus sum.

I, 4, 8.

Eadem (sc. littera) et digamma a graecis vocatur, quando sibimet aliisque vocalibus iungitur: quae ideo digamma dicitur, quia duplex est instar F literae, quae duplex gamma habet, ad cuius similitudinem coniunctas vocales digamma appellari grammatici voluerunt, ut votum, virgo.

Non duplex digamma, sed digamma est instar F litterae; itaque restituendum videtur ‚quia est instar F literae'; ‚duplex' errore librariorum ex eis quae sequuntur iteratum est.

I, 12, 3.

Communes (sc. coniunctiones) nominantur, quia ubivis ponuntur, et subiunguntur: ut, igitur hoc faciam: hoc igitur faciam.

Ante ‚et subiunguntur' verba ‚et praeponuntur' intercidisse verisimile videtur; cf. Prob. p. 144,22 K: coniunctiones, quae praeponi debeant tantum, quae subiungi, quae praeponi et subiungi. (Sergii) explanat. in Donat. p. 516,35 K: sunt namque coniunctiones, quae semper praeponuntur, sunt, quae semper postponuntur, sunt quae et praeponi et postponi possunt. p. 560,31 K: quae praeponi tantum possit, ut nam equidem igitur: quae subiungi tantum, ut enim que autem; quae praeponi et subiungi, ut et.

I, 35, 6.

Antithesis contrapositio literae pro alia litera: ut olli pro illi. Metathesis, transpositio literae, ut Euandre pro Euander, Timbre pro Timbre.

eius velocitate accideret, ex solis cursu diem mensis adinvenerunt: quoniam tardior solis motus facilius poterat comprehendi.

Legendum erit ‚duodecim menses adinvenerunt'.

V, 37, 1.

Olympias apud graecos constituta apud Elidem, Graeciae civitatem, Eliis agentibus agonem, et quinquennale certamen, quatuor mediis annis vacantibus: et ob hoc Elidum certaminis tempus olympiadem vocaverunt, quadriennio in una olympiade supputato.

Quid pluralis ‚Elidum' sibi velit, nescio; scripsisse videtur Isidorus ‚Eliorum'.

VI, 1, 6.

Secundus (sc. ordo librorum) est prophetarum: in quo continentur libri octo. Quorum primus Josue Ben-Nun, qui latine Jesu Nave dicitur: secundus Sophtin, quod est Judicum: tertius Samuel, qui est Regum primus: quartus Melachim, qui est Regum secundus: quintus Isaias, sextus Jeremias, septimus Ezechiel, octavus Thereasar, qui dicitur duodecim prophetarum: qui libri, quia sibi pro brevitate adiuncti sunt, pro uno accipiuntur.

Proposuerim ‚sene asar' (i. e. שְׁנֵי עָשָׂר, duodecim).

VI, 2, 25.

Daniel vero claro sermone regna orbis pronunciat et tempus adventus Christi manifestissima praedicatione annotat.

Malim ‚praedictione'; ‚praedicatio' significat Predigen des Evangeliums, cf. VI, 2,37: post nativitatem carnis et praedicationem Evangelii. 40: fides christianae religionis eorum (sc. evangelistarum) praedicatione disseminata est. 49: ob evangelii praedicationem in insula Pathmos traditur relegatus.

VI, 16, 9.

Quarta synodus Chalcedonensis . . . sub Martiano principe habita est, in qua Eutychem constantinopolitanum abbatem . . . . et eius defensorem Dioscorum quemdam alexandrinum episcopum, et ipsum rursum Nestorium cum reliquis haereticis una Patrum sententia praedamnavit, praedicans eadem synodus Christum Dominum de virgine sic natum, ut in eo substantiam et divinae et humanae confiteamur naturae.

Malim ‚damnavit'; praepositio in ‚praedamnavit' quid significet, non intellego. Verbo quod sequitur ‚praedicans' deberi videtur. cf. 16,6: arianae perfidiae damnata blasphemia.

VI, 17, 26.

Dictus autem bissextus, ... quod nequeat annus subintroduci, nisi bissexto Kal. mart. computaveris.

Scribatur ‚bis sexto Kal mart.', ut hic sensus efficiatur: wenn man nicht den dies sextus Kal. Mart. zweimal rechnet.

VI, 19, 40.

Quae ob id sacramenta dicuntur, quia sub tegumento corporalium rerum virtus divina secretius salutem eorumdem sacramentorum operatur, unde et a secretis virtutibus vel a sacris sacramenta dicuntur.

Verba ,eorumdem sacramentorum' puto interpolata esse ex § 41: quae (sc. sacramenta) ideo fructuose penes Ecclesiam fiunt, quia sanctus in ea manens spiritus, eumdem sacramentorum latenter operatur effectum.

VI, 19, 47.

Quod autem per aquam baptismus datur, haec ratio est. Voluit enim dominus, ut res illa invisibilis per congruens, sed profecto contrectabile et visibile impenderetur elementum, super quod etiam in principio ferebatur spiritus sanctus.

,Impendere' semper ,verwenden, aufwenden' significat, quam significationem huic loco aptam non esse vix est quod moneam. Fortasse Isidorus scripsit ,impertiretur'.

VI, 19, 70.

His tertium genus (sc. ieiunii) quidam adiiciunt: quam xerophagiam dicunt, abstinentiam scilicet humentium ciborum. Unde et nomen hoc datum, eo quod siccis quidam escis utantur.

,quidam' in fine enuntiationis errore librariorum iteratum est.

VII, 1, 19.

Nam omnis mutabilitas non inconvenienter mortalitas dicitur, secundum quam (Otto codicem Guelpherbytan. 1 secutus: secundum quod) et anima mori dicitur: non quia in corpus vel in aliquam alteram substantiam mutatur et vertitur, sed in ipsa sua substantia quidquid alio modo nunc est aut fuit, secundum id, quod destitit esse, quod erat, mortalis utique deprehenditur.

Scribendum videtur: alio modo nunc est ac fuit.

VII, 4, 12.

Nam latinitas proprie non dicit de Deo nisi essentiam: substantiam vero non proprie dicit, sed abusive: quoniam vere substantia apud Graecos persona intelligitur, non natura.

Verba ,apud Graecos' ex eis quae antecedunt (§ 11: fides apud graecos de trinitate hoc modo est) irrepsisse videntur.

VII, 6, 30.

Agar advena, vel conversa. Fuit enim Aegyptia, complexui Abrahae advena causa generandi data, quae post contemptum, angelo increpante, conversa est ad Saram.

Advena Agar nominari poterat, quod Aegyptia erat, conversa, quod ad Saram conversa est; repetitum ,advena' glossema est.

VII, 6, 73.

Manasses obliviosus. Permulta (Otto: per multa) enim scelera et sacrilegia reliquerat et oblitus fuerat Dei.

Scribendum erit: permulta enim scelera et sacrilegia deliquerat.

VII, 8, 6.

Elisaeus domini salus interpretatur; vocabulum autem idem ex futuri praesagio accepit. Denique et multas virtutes fecit et famem pellens populum a morte salvavit.

,Idem' intellegi nequit; fortasse ,item' legendum est, cf. § 4: Elias interpretatur dominus deus. Ex futuri igitur praesagio sic vocatur.

VII, 8, 13.

Nahum gemens, sive consolator. Increpat enim civitatem sanguinum, et post eversionem illius consolatur Sion, dicens: Ecce super montes pedes evangelizantis et annunciantis pacem.

Et Arevalus et Otto adnotat locum esse Jesaiae (52,7); ille addit verba in vulgata paulo aliter se habere. Legitur enim apud Jesaiam l. c.: quam pulchri super montes pedes annuntiantis et praedicantis pacem: annuntiantis bonum, praedicantis salutem e. q. s. Sed iniuria Isidorus erroris arguitur; locus non est Jesaiae, sed ad verbum ex Nahum propheta (1,15 vulgat.) exscriptus est.

VII, 8, 40.

Tertium autem genus visionis est, quod neque corporeis sensibus neque illa parte animae, qua corporalium rerum imagines capiuntur, sed per intuitum mentis, quo intellecta conspicitur veritas.

Nescio an ,visionis est, quo' scribendum et ,quo' ante ,intellecta' eiciendum sit.

VII, 13, 5.

Abba autem, syrum nomen, significat in latinum pater: quod Paulus Romanis scribens exposuit, dicens: in quo clamamus, Abba pater: in uno nomine duabus usus linguis. Dicit enim Abba syro nomine patrem, et rursus latine nominat itidem patrem.

,Patrem' post ,nomine' errori librariorum deberi videtur.

VII, 14, 6.

Neophytus graece, latine novellus, et rudis, fidelis, vel nuper renatus interpretari potest.

Mutata interpunctione scripserim: novellus et rudis fidelis, vel nuper renatus e. q. s; ,fidelis' substantivi vice fungitur.

VIII, 11, 23.

Bel idolum babylonium est, quod interpretatur vetus: fuit enim hic Belus pater Nini primus rex Assyriorum, quem quidam Saturnum appellant, quod nomen apud Assyrios et apud Afros postea cultum est.

Malim ,quod numen . . cultum est'; cf. Serv. ad Verg. A. I 729: quos (sc. Assyrios) constat Saturnum . . . . . Iunonemque coluisse, quae numina etiam apud Afros postea culta sunt.

VIII, 11, 50.

Martem deum belli esse dicunt, et Martem appellatum, quia per viros pugnatur, ut sit Mars' maris ars: licet et tria sint genera consuetudinum: sicut scytharum, ubi feminae et viri in pugnam eunt: amazonum, ubi solae feminae: romanorum aliarumque gentium, ubi soli mares.

,Et' ante ,tria sint genera' abesse malim; duae ultimae vocis ,licet' litterae falso iteratae videntur esse.

IX, 1, 2.

Linguae (die Sprachen) autem dictae in hoc loco pro verbis, quae per linguam (die Zunge) fiunt, genere locutionis illo, quo is, qui efficit, per id, quod efficitur, nominatur: sicut os dici solet pro verbis, sicut manus pro literis.

Si linguae pro verbis dicerentur eo genere locutionis, quo is, qui efficit, per id, quod efficitur, nominatur, linguas (die Zungen) per verba effici necesse esset. Atqui verba per linguam efficiuntur, sicut verba per os, non os per verba. Omnia recte se habebunt, si pro ‚per id‘ scripseris ‚pro eo‘: genere locutionis eo, quo is, qui efficit (lingua) pro eo quod efficitur (sc. pro verbis) nominatur.

IX, 2, 113.

Cantabri, gens Hispaniae, a vocabulo urbis, et Iberi amnis, cui insidunt, appellati.

‚Insidunt‘ ex ‚insident‘ corruptum esse credo.

IX, 3, 2.

Duo regna ceteris gloriosiora traduntur, Assyriorum primo, deinde Romanorum, ut temporibus, et locis inter se ordinata atque distincta.

Corrigendum videtur ‚ita locis‘; cf. quae § 3 sequuntur: nam sicut illud prius et hoc posterius, ita illud in oriente, hoc in occidente exortum est.

IX, 3, 36.

Tirones dicuntur fortes pueri, qui ad militiam deliguntur, atque armis gerendis habiles existunt. Hi enim non ex sola professione nativitatis, sed ex aspectu, et valitudine corporis existimantur. Unde et tirones dicti, qui antequam sacramento rogati sint, milites non sunt.

Littera a iterata scribi velim: unde et tirones dicti, quia antequam e. q. s.

IX, 3, 55.

Coniuratio, quae fit tumultu, quando vicinum urbis periculum singulos iurare non patitur: sed repente colligitur multitudo, et tumultuosa in ira conflatur. Haec et tumultuatio dicitur.

Malim ‚tumultuose‘; cf. Liv. II, 29,5: senatus tumultuose vocatus tumultuosius consulitur.

IX, 3, 50.

Manipulus ducentorum est militum. Manipuli autem dicti sunt milites, sive quia bellum primo manu incipiebant, sive quod antequam signa essent, manipulos sibi, id est, fasciculos stipulae vel herbae alicuius pro signis faciebant.

Non manipuli dicti sunt milites, sed manipulares, ut ipse Isidorus scribit ‚a quo signo manipulares milites cognominati sunt‘. Itaque ‚milites‘ post ‚dicti sunt‘ expungendum videtur.

IX, 4, 24.

Curiales autem iidem et decuriones. Et dicti curiales, quia civilia munera procurant et exequuntur.

Malim ‚curialia‘; cf. IX, 4,23: decuriones dicti, quod sint de ordine curiae. Officium enim curiae administrant. IX, 4,30: dicti privati, quod sint ab officiis curiae absoluti.

IX, 4, 25.

Principales magistratus, et duumvirales curialium officiorum ordinum sunt.

Post ‚principales‘ interpungendum videtur; tria enim genera officiorum commemorari satis perspicuum est ex eis, quae sequuntur: Principales dicti, quod primi sint magistratibus. § 26. Magistratus vero, quod maiores sint reliquis officiis. Duumvirales . . (explicatio in codicibus deest). — Ceterum Arevalus se ‚primi sint magistratus‘ malle adnotat; sed mutatione non opus est, ‚magistratibus‘ ablativus comparativus est, ‚primi‘ comparativi significationem habet (= priores). Saepius enim ab Isidoro comparativus et superlativus inter se confunduntur; cf. VII, 11,3: martyrum primus in novo testamento Stephanus fuit, qui sermone hebraeo interpretatur norma, quod prior (= primus) fuerit in martyrio ad imitationem fidelium. XVI, 7,2: genera eius (sc. smaragdi) duodecim, sed praestantiores (= praestantissimi), qui videntur fulgere et velut ignem effundere. XVII, 9,4: costum radix herbae est nascentis in India, Arabia et Syria, sed melius (= optimum) arabicum. XX, 4,3: fictilia vasa in Samo insula prius (= primum) inventa traduntur. VII, 6,36: plurimos (= plures) enim dolores quam Rachel foecunditate pariendi experta est. XII, 4,4: draco maior (= maximus) cunctorum serpentium sive omnium animantium super terram. XIX, 33,1: cinctus est lata zona, et minus lata semicinctium, et utrisque minima (= minor) cingulum.

IX, 4, 35.

Procuratores vero, eo quod vicem curatoris fungantur: quasi propter curatores: sicut proconsul pro consule.

Fortasse Isidorus scripsit: quasi pro curatore; cf. IX, 5,2: proheres est, qui loco heredis fungitur, quasi pro herede.

X, 232.

Quaestuosus querimoniosus.

Isidorum adiectivum ‚quaestuosus‘ a verbo ‚queri‘ derivasse apertum est, qua re adducor, ut eum ‚questuosus‘ scripsisse putem; nam si ‚quaestuosus‘ scripsisset, vix eum fefellisset, quid revera adiectivum illud significet et a quo verbo derivandum sit.

X, 131.

Incentor, ab eo quod incendat, atque inflammet. Incentor, quia prava suggestione ad vitia cor aliorum succendit, et persuadendo inflammat.

Scribendum proposuerim ‚incensor, ab eo quod incendat‘; incensor (ab incendendo derivatum) significat Anzünder, incentor (ab incinendo) Anreizer, Erreger, Anstifter. Praeterea Isidorus cum eiusdem vocabuli significationes duas affert, ‚item‘ inserere solet. cf. X, 139: inglorius, quod sit sine gloria . . . item inglorius, immemor gloriae. X, 141: immunis, minime munificus . . . item immunis, qui non facit munia. X, 145: inconsultus, ab eo quod non accipiat consilium; item inconsultus, quia est sine consilio, et inscius rerum, atque ignarus.

XI, 1, 20.

Visum autem fieri quidam asseverant aut externa aetheria luce, aut interno spiritu lucido per tenues vias a cerebro venientes, atque penetratis tunicis in aërem exeuntes, et tunc commixtione similis materiae visum dantes.

Non tenues viae a cerebro veniunt, in aërem exeunt, visum dant, sed internus spiritus lucidus. Corrigendum igitur erit: veniente, exeunte, dante.

XI, 1, 55.

Palatum nostrum, sicut caelum, est positum, et inde palatum a polo per derivationem.

Corruptum esse ‚nostrum‘ ex ‚sursum‘ pro certo affirmaverim; cf. Cic. deor. nat. II, 56, 141: itemque nares et, quod omnis odor ad supera fertur, recte sursum sunt et, quod cibi et potionis iudicium magnum earum est, non sine causa vicinitatem oris secutae sunt. In quibusdam editionibus Otto adnotat legi: palatum nostrum, sicut caelum, sursum est positum.

XI, 3, 4.

Quaedam autem portentorum creationes in significationibus futuris constitutae videntur.

Praetulerim ‚futuri‘; cf. VII, 8,4: ex futuri igitur praesagio sic vocatur. VII, 11,3: ut, quod sequeretur in re, vaticinio quodam futuri prius in vocabulo resonaret. XV, 1,23: quodam vaticinio futuri.

XI, 3, 8.

Alii a defectu partium, in quibus altera pars plurimum deficit ab altera, ut manus a manu, vel pes a pede.

Propono ‚deficitur‘; cf. Georges I⁷ s. v. deficio II, b, α (p. 1845): deficitur alquid ab alqua re . . es ist jemand ohne etwas, es geht jemandem oder einer Sache etwas ab.

XII, 1, 29.

Taurus graecum nomen est, sicut et bos. Indicis tauris color fulvus est, volucris pernicitas, pilis in contrarium versis, caput circumflectunt flexibilitate, qua volunt, tergi duritia omne telum respuunt immiti feritate.

Ablativus ‚pilis versis‘ unde pendeat, non intellegitur. Verisimile arbitror esse nominativum ‚pilus in contrarium versus‘ restituendum esse. Cf. Solin. p. 210,1 M: Indicis tauris color fulvus est, volucris pernicitas, pilus in contrarium versus, hiatus omne quod caput. Hi quoque circumferunt cornua flexibilitate qua volunt e. q. s.

XII, 2, 9.

Nam quum in utero matris coaluere catuli, maturisque ad nascendum viribus pollent, odiunt temporum moras.

Malim ‚maturique‘.

XII, 3, 8.

Grillus nomen a sono vocis habet. Hic retro ambulat, terram terebrat, stridet noctibus: venatur eum formica circumligata capillo in cavernam eius coniecta, afflato prius pulvere, ne se abscondat, ita formicae complexibus trahitur.

Pro ‚venatur‘ corrigendum ‚venantur‘ et ‚afflato‘ in ‚efflato‘ (sc. e caverna) mutandum esse docet Plinius n. h. 29, § 138: venantur eum (sc. grillum) formica circumligata capillo in cavernam eius coniecta, efflato prius pulvere, ne sese condat; ita formicae complexu extrahitur.

XII, 4, 48.

Pythagoras dicit. de medulla hominis mortui quae in spina est, serpentem creari . . . . Quod si creditur, merito evenit, ut sicut per serpentem mors hominis, ita per hominis mortem serpens.

Verbum intercidisse videtur. Fortasse: hominis (fiat), ita e. q. s.

XII, 6, 19.

Crocodilus . . . . animal quadrupes . . . . dentium et unguium immanitate armatum, tantaque cutis duritia, ut quamvis fortium ictus lapidum tergo repercussus non sentiat.

Non crocodilus repercutitur, sed lapidum ictus; scribendum igitur erit ‚repercussos‘. cf. Sol. p. 160,9 M: circumdatur maxima cutis firmitate in tantum, ut ictus quovis tormento adactos tergo repercutiat.

XIII, 21, 16.

Araxis, amnis Armeniae, qui ab uno monte cum Euphrate diversa specie oritur, dictus, quod rapacitate cuncta prosternat.

Pro ‚diversa specie‘ scribendum erit ‚diversa specu‘; cf. Oros. VI 4,7 (p 195,8 Zang.): Pompeius regem insecuturus inter duo flumina, quae ab uno monte diversis specubus exoriuntur, hoc est Euphraten et Araxen, urbem Nicopolim senibus, lixis et aegris volentibus condidit.

XIV, 3, 31.

Scythia, sicut et Gothia, a Magog filio Japheth fertur cognominata: cuius terra olim ingens fuit; nam ab oriente India, a septentrione per paludes Maeotides inter Danubium et oceanum usque ad Germaniae fines porrigebatur.

Post ‚India‘ verbum intercidisse videtur, vel ‚terminabatur‘ (cf. XIV, 3, 1: a septentrione Maeotide lacu et Tanai fluvio terminabatur) vel ‚finiebatur‘ (cf. XIV, 3, 1: ab occiduo nostro mari finitur) vel ‚circumdabatur‘ (cf. XIV, 3, 11: a septentrione Armenia circumdatur) vel ‚claudebatur‘ (cf. XIV, 3, 8: quae regiones . . . . Tigri clauduntur) vel tale quid. In eis, quae sequuntur:

‚Postea vero minor effecta, a dextra orientis parte, qua oceanus Sericus tenditur usque ad mare Caspium, quod est ad occasum: dehinc a meridie usque ad Caucasi iugum deducta est: cui (sc. Scythiae) subiacet Hyrcania, ab occasu habens pariter gentes multas propter terrarum infoecunditatem late vagantes‘.

primum post ‚tenditur‘ interpungendum esse docet Oros. I 2,47 (p. 9,4 Z): ab imo Caucaso et dextra orientis parte qua oceanus Sericus tenditur, usque ad promunturium Boreum et flumen Boreum, inde tenus Scythico mari quod est a septentrione, usque ad mare Caspium quod est ab occasu, et usque ad extentum Caucasi iugum quod est ad meridiem. Deinde ‚ab occasu‘ cum eis quae antecedunt coniunxerim: cui subiacet Hyrcania ab occasu, habens pariter (sc. ac Scythia) gentes multas . . . late vagantes. ‚Pariter‘ ad Scythiam referri debere ex eodem Orosii loco (Hyrcanorum et Scytharum gentes sunt XLII, propter terrarum infecundam diffusionem late oberrantes) intellegitur.

XIV, 6, 3.

Thanatos, insula oceani, freto gallico a Britannia aestuario tenui separata.

‚Separata‘ cum duobus ablativis coniunctum non video quomodo possit intellegi; post ‚freto Gallico‘ inserendum esse ‚adspiratur‘ Solinus documento est (p 114,5 M: Tanatus insula adspiratur freto Gallico, a Brittaniae continente aestuario tenui separata).

XIV, 6, 16.

Prima (sc. Creta insula) etiam remis et sagittis claruit: prima literis iura fixit, equestres turmas prima docuit. Studium musicum ab Idaeis dactylis in ea coeptum: capris copiosa, cervis eget, lupos et vulpes aliaque ferarum noxia nusquam gignit, serpens ibi nullus, noctua nulla, et si invehatur, statim moritur.

Verba ,capris copiosa' et ,cervis eget' ab Isidoro quodam modo inter se opponi videntur, mirum esse exponit, quod Creta insula capris abundet, cervi in ea non inveniantur. Malim igitur scribi ,capreis'; cf. Plin. n. h. 8, § 228: mirabilius in eadem insula (sc. Creta) cervos praeterquam in Cydoniatarum regione non esse, item apros et attagenas, erinaceos, in Africa autem nec apros nec cervos nec capreas nec ursos.

XV, 7, 5.

Claustra ab eo quod claudantur dicta. Fenestrae sunt, quibus pars exterior angusta, et interior diffusa est, quales in horreis videmus: dictae, eo quod lucem fenerent: lux enim graece φῶς dicitur; vel quia per eas intus positus homo foras videt. Alii fenestram putant dictam, eo quod domui lucem ministrat, compositum nomen ex graeco latinoque sermone: φῶς enim graece lux est.

,lux enim graece φῶς dicitur' abesse malim; patet enim initio fenestras non a graeco vocabulo φῶς, sed a fenerando derivari.

XV, 13, 4.

Fundus dictus, quod eo fundatur, vel stabiliatur patrimonium.

Immo ,fundetur'.

XVI, 1, 6.

Creta argentaria et ipsa Candida appellata, eo quod nitorem argento reddat.

Interpunctio mutanda est: creta argentaria, et ipsa candida (non ,Candida'), appellata, eo quod e. q. s. Praecedunt haec: creta Cimolia candida est.

XVI, 2, 3.

Sunt et montes nativi salis, in quibus ferro caeditur, ut lapis renascens: tantae alicubi duritiae, ut muros, domosque massis salis faciant, sicut in Arabia.

Salem caedi ut lapidem renascentem nego intellegi posse. Collato loco Pliniano (n. h. 31 § 77: sunt et montes nativi salis, ut in Indis Oromenus in quo lapicidinarum modo caeditur renascens) apparet verbis ,ut lapis' Plinianum ,lapicidinarum modo' reddi; ,renascens' non minus quam genetivus qualitatis ,tantae alicubi duritiae' attributum est ad subiectum verbi ,caeditur' (sc. sal) referendum.

XVI, 4, 7.

Dionysias lapis fuscus, et rubentibus notis sparsus. Vocatur autem ita, quia si aquae mixtus conteratur, vinum flagrat: et quod in illo ardore mirum est, ebrietati resistit.

Variantem lectionem ,fragrat' pro ,flagrat' neque ab Arevalo neque ab Ottone in textum receptam esse miror; praeterea ,ardore' in ,odore' mutandum est. cf. Solin. p. 178,2 M: idem (sc. dionysias) si aquae mixtus conteratur, vinum fragrat et, quod in illo odore mirificum est, ebrietati resistit. Ipse quoque Isidorus documento est ,ardore' corruptum esse; cf. XVI, 11,8: dionysias nigra, mixtis rubentibus notis, ex aqua trita vinum flagrat, et odore suo ebrietati resistere putatur. Etiam hoc loco editoribus ,fragrat' restituendum fuit; cf. Plin. n. h. 37 § 157: dionysias nigra ac dura mixtis rubentibus maculis ex aqua trita saporem vini facit.

XVI, 4, 12.

Iudaicus lapis albus est, atque in schemate glandis scripturis sub invicem modulatus, quas Graeci γραμμὰς appellant.

Verba ,in schemate glandis' non cum eis quae sequuntur coniungenda esse docet Dioscorides V, 155: ὁ δὲ Ἰουδαϊκὸς λίθος γεννᾶται μὲν ἐν τῇ Ἰουδαίᾳ, τῷ σχήματι βαλανοειδής, λευκός. εὔρυθμος ἱκανῶς, ἔχων καὶ γραμμὰς παραλλήλους. ὡς ἀπὸ τόρνου. Itaque post ,glandis' interpungendum erit. Num ,subinvicem', id quod Georges dicit, ,durcheinander' significet, dubito; vertere malim ,παραλλήλως'. Postremo quod Grial adnotat ,quod modulatis idem (sc. vetus Dioscoridis interpres) vertit, ὡς ἀπὸ τόνου legisse videtur', non adsentior; modulatus est εὔρυθμος.

XVI, 4, 21.

Mitridax, lapis Euphratis, sole repercussus coloribus micat variis.

Sol non repercutit, sed repercutitur. cf. XVI, 7,5: invenitur ad repercussum lunae plenae; lapis non repercutitur, sed percutitur. Videndum igitur est, ne ,percussus' scribi oporteat; cf. XVI, 12,2: Mitridax sole percussa, coloribus micat variis. 13,6: nam sub tecto percussa sole, species et colores arcus caelestis in proximos parietes emittit. Solin. p. 176,18: mithridax sole percussa coloribus micat variis.

XVI, 4, 23.

Phengites, Cappadociae lapis, duritia marmoris candidus, atque translucens, ex quo quondam templum constructum est a quodam rege foribus aureis, quibus clausis claritas intus diurna erat.

Interpungendum est ,phengites, Cappadociae lapis, duritia marmoris, candidus atque translucens'; ,duritia marmoris' est ablativus qualitatis.

XVI, 7, 2.

Reliqui (sc. smaragdi) in metallis aerariis inveniuntur, sed vitiosi. Nam aut aere, aut plumbo, aut capillamentis, vel salis similes notas habent.

In editione Migniana p. 830 adnotatum est: post ,capillamentis' videtur aliquid deesse. Praeferendum mihi videtur esse secundum Solinum (p. 98,15 M: vitiosi eorum intrinsecus quasdam sordes habent, vel plumbo vel capillamentis vel etiam sali similes.) pro ,aere' et ,salis' dativos ,aeri' et ,sali' restituere.

XVI, 9, 3.

Hyacinthus ex nominis sui flore vocatur. Hic in Aethiopia invenitur, caeruleum colorem habens. Optimus, qui nec rarus est, nec densitate obtusus, sed ex utroque temperamento luce purpuraque refulgens.

Corrigatur ,qui nec clarus est'; cf. Solin. p. 152,16 M: optimus in illo (sc. hyacintho) tenor, si nec densiore fuco sit obtunsior nec propensa perspicuitate detectior.

XVI, 9, 7.

Cyanea, Scythiae gemma, caeruleo coruscans nitore, pura interdum, et punctulis intermicantibus auratis pulvisculis varians.

Interpunctio in hunc modum mutanda videtur esse: pura, interdum et (= etiam) punctulis intermicantibus e. q. s. cf. Solin. p. 98,18 M: et cyaneus e Scythia est, optimus, si caerulo coruscabit, cuius gnari in marem et feminam genus dividunt: feminis nitor purus est, mares punctulis ad gratiam interlucentibus auratilis pulviculus variat.

XVI, 10, 8.

Cinaedia invenitur in cerebro piscis eiusdem nominis, candida et oblonga. Praesagire iis ferunt magi signa tranquillitatis, vel tempestatis.

Legendum erit ,feruntur'.

XVI, 14, 10.

Syrtites, vocata, quoniam in litore Syrtium inventa primum est in parte Lucaniae. Color eius croceus: intus stellas continens elanguidas, sub nubilo renitentes.

Post ‚primum est' interpungendum esse intellegitur ex Solino p. 45,13 M: eruitur gemma in parte Lucaniae facie adeo iucunda, ut languentes intrinsecus stellas et subnubilo renidentes perfundat color croceus. ea quoniam in litore Syrtium inventa primum est Syrtitis vocatur.

XVI, 18, 14.

Sive igitur aes illud fuerat, sive aurum, quum in loca terrae depressiora decurreret, sumpsit figuram, in quam illud vel profluens rivus, vel excipiens lacuna formaverat. Quarum rerum splendore capti homines, quum ligatas attollerent massas, viderunt in eis terrae vestigia figurata, hincque excogitaverunt, liquefactas ad omnem formam posse deduci.

Isidorum puto scripsisse ‚liquatas'.

XVI, 20, 2.

Cyprium aes in Cypro insula prius repertum, unde et vocatum: factum ex lapide eroso, quam cadmiam vocant.

Immo ‚aeroso'; cf. Plin. n. h. 34, § 2: fit et e lapide aeroso, quem vocant cadmeam.

XVI, 20, 14.

Aeruginem aes quoque creat. Nam laminae aereae super vas aceti asperrimi sarmentis superpositae, atque ita distillantibus, quod ex eo cecidit in ipsum acetum, teritur et cribratur.

Quod hoc loco Isidorus de aerugine exponit, idem Plinius (n. h. 34, § 175) de psimithio vel cerussa narrat, quae difficultas quomodo tollenda sit, nescio. Sed ut verba illa ‚aeruginem aes quoque creat' omittamus, etiam quae sequuntur vix intellegi possunt. Neque satis facit nobis Arevalus, qui haec adnotavit: „genuinum videtur ‚atque ita distillantes'; nam praecedit ‚superpositae', et nominativus pro ablativo absoluto apud Isidorum eiusque aequales in mss. membranis saepe occurrit." Nam quamquam nominativi absoluti exempla apud Isidorum non deesse certum est, tamen illa coniectura locus propterea nondum sanatus mihi videtur, quod, si traditam scripturam sequimur, duae res commemorantur, quibus laminae superponantur, vas aceti asperrimi et sarmenta. Ego alterum participium ‚superpositae' in ‚superpositis' et, quoniam sarmenta hoc loco quid sibi velint prorsus nescitur, ‚sarmentis' in ‚ramentis' mutari velim; ‚laminae aereae' genetivus est, quem cum librarii nominativum pluralis esse opinarentur, factum est, ut pro ‚superpositis' scriberetur ‚superpositae'. Mutationi a me propositae favet, ni fallor, Plinius l. c.: psimithium quoque hoc est cerussam plumbariae dant officinae, laudatissimam in Rhodo; fit autem ramentis plumbi tenuissimis super vas aceti asperrimi impositis atque ita destillantibus. Quod ex eo cecidit in ipsum acetum, arefactum molitur et cribratur.

XVII, 7, 14.

Mespilus arbor spinosa, fructu similis malorum: sed paulo breviore, unde et appellata, quod pilulae formam habeant eius poma.

Malim ‚simili' ablativi ‚breviore' ratione habita.

XVII, 7, 31.

Pinus, arbor picea, ab acumine foliorum vocata. Pinum enim antiqui acutum

nominabant. Pinum autem aliam pitin, aliam Graeci πεύκην vocant, quam nos piceam dicimus, eo quod desudet picem. Nam et specie sibi differunt.

Eiecto vocabulo ‚picea' scripserim ‚pinus arbor ab acumine foliorum vocata'. cf. 7,13: melopos arbor in Africa punica lingua vocata. 7,27: suberies arbor, ex qua e. q. s.

XVII, 7, 49.

Myricae, quam latini tamaricem vocant, ex amaritudine nominata.

Toto hoc capite de arboribus Isidorus arborum nomina singulari numero affert, quamobrem hoc quoque loco singularis ‚myrice' reponendus erit, praesertim cum singularia ‚quam' et ‚nominata' sequantur.

XVII, 8, 5.

Storax, arbor Arabiae, similis malo cydonio, cuius virgulae inter caniculae ortum cavernatim lacrymam fluunt. Distillatio eius, in terram cadens, munda non est, sed cum proprii corticis scrobe servatur. Illa autem, quae virgis et calamis inhaeserit, munda est et albida: dehinc fulva fit solis causa, et ipsa storax calamites pinguis, resinosa, odoris iucundi, humecta, et veluti mellosum liquorem emittens.

Scribendum est ‚cum proprii corticis scobe'. Deinde interpunctionem hoc modo mutari oportebit: et ipsa storax calamites, pinguis, resinosa e. q. s. Neque enim hic duo genera storacis commemorantur, quorum alteri nomen sit calamites. ‚Calamites' hoc loco non genus storacis significare, sed cum eis quae sequuntur attributis coniungendum esse etiam Plinius mihi docere videtur; cf. n. h. 12, § 124: arbor (sc. styrax) est eodem nomine, cotoneo malo similis, lacrimae ex austero iucundi odoris, intus similitudo harundinis.

XVII, 9, 8.

Cyperus a graecis vocatur quod habeat virtutem ferventem. Radix eius est iunci trianguli, foliis porri similibus, radicibus nigris, sive contiguis, in similitudinem olivarum odoratissimis atque acerrimis. Nascitur in paludibus atque vacuis locis.

Isidorum scripsisse radicem cyperi foliis porri similibus et radicibus nigris esse vix credi potest. Medelam praebet Dioscorides, qui (I 4) de cypero haec exponit: *φύλλα δὲ ἔχει* (sc. *κύπειρος*) *ὅμοια πράσῳ, μακρότερα δὲ καὶ ἰσχνότερα, καυλὸν δὲ πηχυαῖον ἢ καὶ μείζονα, γωνιώδη, ὅμοιον σχοίνῳ· οὗ κατὰ κορυφὴν φυλλαρίων ἐστὶν ἔκφυσις μακρῶν καὶ σπέρματος· ῥίζαι δ' ὕπεισιν, ὧν καὶ ἡ χρῆσις, ἐπιμήκεις ὥσπερ ἐλαίας συναφεῖς ἑαυταῖς, ἢ καὶ στρογγύλαι, μέλαιναι, εὐώδεις, ἔμπικροι.* Verba *γωνιώδη, ὅμοιον σχοίνῳ* (apud Isidorum: iunci trianguli) quoniam ad *καυλὸν* referenda sunt, non dubito, quin ‚radix' ex ‚caudex' corruptum sit. Nec minus ad coniunctionem ‚sive' intellegendam Dioscorides nobis usui est; dicit enim radices cyperi oblongas (*ἐπιμήκεις*) aut rotundas (*στρογγύλαι*) esse. Itaque Isidorus scribere debuit ‚radicibus nigris contiguis (*συναφεῖς ἑαυταῖς*), in similitudinem olivarum oblongis sive rotundis, odoratissimis atque acerrimis'. Sed periculum est, ne ipsum Isidorum corrigamus. Ad verba ‚nascitur in paludibus atque vacuis locis' (Dioscorides l. c.: *φύεται δὲ ἐν τόποις ἐργασίμοις καὶ τελματώδεσιν*) Arevalus haec adnotat: error ergo interpretis, qui *ἀργοῖς* fortasse legit aut *ἀργοσίμοις*. Immo, ni fallor, interpres, quo Isidorus usus est, legit *ἐρήμοις*.

XVII, 9, 52.

Aristolochia dicitur, quod mulieribus (Otto, fortasse typographorum errore: muliebribus) foetis optima sit. Nam supersessa post partum, matricem beneficio vaporis expurgat.

Corrigatur ‚superesa'.

XVII, 9, 64.

Scammonia, quam latini acridium vocant, herba succi plena, quae colligitur sub cavata radice. Denique terram rotunda cavitate fodiunt: tum suppositis aut cochleis aut nucis foliis excipitur succus, atque siccatus aufertur.

Non herba sub cavata radice colligitur, sed succus; itaque ‚qui colligitur' restituendum erit. cf. Dioscor. IV, 171: *συλλέγεται δὲ ὁ ὀπὸς τῆς κεφαλῆς ἀπὸ τῆς ῥίζης ἀφαιρουμένης καὶ θολοειδῶς τεμνομένης εἰς κοιλότητα.* Deinde succum non cochleis, sed conchis exceptum esse cum per se verisimile est tum confirmat Dioscorides l. c: *συρρεῖ γὰρ εἰς αὐτὴν ὁ ὀπός. καὶ οὕτως ἀναλαμβάνεται εἰς μύακας. ἔνιοι δὲ τὴν γῆν ὀρύξαντες θολοειδῶς καρύας φύλλα ὑποθέντες καταχέουσι τὸν ὀπὸν καὶ οὕτω ξηρανθέντα ἀναιροῦνται.*

XVIII, 3, 2.

Aquilae ideo, quod eadem avis Jovis in armis auspicio fuerit.

Dativum ‚Jovi' restituendum esse verba documento sunt quae sequuntur: nam dum idem Jovis adversus Titanas proficisceretur, aquilam ei in auspicio apparuisse ferunt.

XIX, 6, 1.

Faber a faciendo ferro impositum nomen habet. Hinc derivatum est nomen ad alias artium materias, fabros vel fabricas dicere, sed cum adiectione, ut faber lignarius.

‚Nomen' neque nominativus esse potest, quoniam ad ‚derivatum est' subiectum ‚dicere' est, neque accusativus, accusativus enim ad ‚dicere' referendus est ‚fabros vel fabricas'. Itaque scribi velim: hinc derivatum est ad alias artium materias fabros vel fabricas dicere.

XIX, 10, 12.

Albi silices contra vetustatem incorrupti. Iidem et in monumentis scalpti, et incorrupti permanent: quibus nec ignis quidem nocet.

‚Et incorrupti' propterea offensioni est, quod coniunctioni ‚et' hic locus non est, nam deest vocabulum, cui ‚incorrupti' adiungatur. Videntur verba illa interpolatori deberi

XIX, 10, 13.

Globus contra iniurias fortis, et in structura infidus, nisi fuerit multa suffrenatione devinctus.

Pro ‚globus' recte ‚globosus' (sc. silex) correxit Grial. Praeterea mutaverim ‚sed in structura infidus'. cf. Plin. n. h. 36, § 169: globosus contra iniurias fortis, sed structurae infidelis.

XIX, 17, 17.

Atramentum dictum, quod sit atrum: cuius species et picturae et quotidiano usui necessaria est: istud inter factitios (sc. colores) est. Fit enim et fuligine plurimis modis super ardentes taedas resina adiecta.

Scribendum est ‚ex fuligine'; cf. Plin. n. h. 35, § 41: fit enim e fulgine pluribus modis.

XIX, 19, 10.

Circinus dictus, quod vergendo efficiat circulum. Huius modus duplicata linea fit, quae simplex per latitudinem extensa fuerat.

Circinum duplicata linea fieri recte dici potest; modus circini quomodo duplicata linea fiat, me non intellegere fateor. Pro ‚modus' scripserim ‚nodus' collato loco Ovidiano (met. VIII 247 sq.):

Primus et ex uno duo ferrea bracchia nodo
Vinxit, ut aequali spatio distantibus illis
Altera pars staret, pars altera duceret orbem.